



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-495228-p0001-4

DFG

8787.

1792, 5.
7

PROCANCELLARIUS
D. AUG. FRIDER. SIGISMUNDUS
GREEN

SUPREMAE CURIAE PROVINCIALIS ET COLLEGII
IURIS CONSULTORUM LIPS. ASSESSOR EIUSDEMQUE
CIVITATIS SENATOR ATQUE SYNDICUS

SUMMOS IN UTROQUE IURE HONORES

V I R O
PRAECLARISSIMO ET DOCTISSIMO

M. IOANNI FRIDERICO HERMANNO

DIE XVI. AUGUSTI ANNI C^ICCCLXXXII

SOLEMNITER TRIBUENDOS
INDICIT.

DISSESTITUR

De transmissione hereditatis delatae non aditae.

179

TRÖGNICHTLICHES
D. VNE-FRIDER SICISUNDUS
COPEN

SUPPERNA GURIAE PROGALONIATIS ET CECILIE
IACOBUS CONVENTORUM FISCH WASSERSON FISCHEROMA
CIVITATIS SCHAFHAUEN ALGEN AYNGE
SUMMA IN UTRICELLE IURE HONORIS

V. I. L. O.

REVOCATIONIS ET DOCTISSIMO
M. IOANNI FRIDERICO HERMANNIO

DIC.XXI. A.DUBBT. ANNI CLXXXCCCLXXXVII

SELEMMITTET LVBISSEWIGS

INSCIPIT

LIBESCHRIJVER

De lausenim. 1791. Gelehrte von Sachsen-Anhalt

7
Cum nobis animus sit, de transmissione hereditatis non aditae
in heredis heredem quaedam differendi, e re esse videtur, ut
tam Romani, quam Patrii iuris pracepta, ad instar opposito-
rum, quae iuxta se posita magis illucscunt, tradamus, iisdemque
iuris, quo nunc utimur, capita et limitationes iungamus.

I. PRAECEPTA IURIS ROMANI.

Et **IURE** quidem **ROMANO** hereditatis aditio summae ne-
cessitatis erat. Quamvis enim Imperatores **THEODOSIUS ARCAD.**
et HONORIVS¹⁾ cretionum scrupulosam solemnitatem penitus am-
putaverunt, hoc ipso tamen aditionem hereditatis non remis-
erunt, quae non solemnitatis causa, sed ex indeole Iuris Romani, est
introducta. Heres enim, dum adit hereditatem, dupli modo
se obligat, partim creditoribus, quibus, dum personam defun-
eti refert, ad expungendum eius aes alienum, licet vires heredita-
tis excedens, obstringitur, nisi beneficio inventarii sit usus, par-
tim quasi ex contraetu, quo legatarii et fideicommissarii ad praef-
stanta legata et fideicomissa tenentur. Distinguunt itaque leges
civiles inter hereditatis delationem, *den Anfall*, et aditionem, *den Antritt*,
negantes, heredem, nisi verbis, aut factis, voluntatem
adeundi declaraverit, hereditatem acquisivisse; et Imp. **JUSTINIA-**
NUS²⁾ verbis: *Hereditatem, nisi fuerit adita, transmitti, nec veteres*
permittebant, nec nos patimur, firmat regulam, quae valet, qui-
busdam

1) l. 17. C. de iure deliber. 2) l. un. C. de caduc. toll. §. 5.

busdam modo exceptis casibus. Transmittitur enim interdum hereditas, vel plane non delata, vel delata quidem, sed non adiuta. Illud locum habet in descendantibus, et iure civili in liberis fratribus et sororum, quibus portio hereditatis, praemortuis ante defunctum parentibus, debita, iure representationis defertur, de qua specie egit HELLFELD³⁾). Nobis autem de altero casu sermo est, quo heres, qui post defunctum diem obiit supremum, ius adeundi, quo non usus est, in heredes transmittit. Et

Primo veniunt sui HERIDES, quibus *aditio non est necessaria*, quia statim ipso iure heredes existunt⁴⁾), qui itaque hereditatem, ab his, in quorum potestate fuerunt, sive ab intestato sive ex testamento, delatarunt, et ignorantes, acquirunt, et in quosvis heredes transmittunt⁵⁾). EMANCIPATIS vero hoc ius non competit. Obstat quidem videtur huic sententiae ius novissimum. Sanxit enim IUSTINIANUS⁶⁾, ut emancipati, filius et filia, non solum in paternis bonis, ad suorum similitudinem succedant; sed etiam in fratribus et sororum suarum successione, sive omnes sibi, sive omnes emancipati sint, sive mixti, aequo iure invicem sibi succedant, et disponit:⁷⁾ in successione descendantium nullam introducendam esse differentiam, sive suae potestatis, sive sub potestate sint constituti. Sed hae constitutiones solummodo de iure succedendi, sive de hereditatis delatione, agunt, cuius intuitu Imperator distinctionem inter suos et emancipatos fustulit; itaque tanquam leges, ius pristinum abrogantes, latius, quam earum sensus permittit, haud sunt interpretandae, nec ad modum acquiri

rendi

3) in Diff. de transmissione iuriis succedendi antecessoris morte non delati, in Eius Opus. XIX.

4) l. 14. D. de suis et legit. her.

5) §. 3. l. de hereditatibus, quae ab int. defer. l. 1. §. 7. D. Si quis

omissa causa. l. 9. §. 1. de reb. dub. l. 9. de iure fisci. l. 3. C. de iure delib.

6) l. 15. §. 1. C. de legit. hered.

7) Nev. CXVIII. C. I.

rendi, sive ad hereditatis additionem, de qua illis plane sermo non est, trahendae^{8).}


Deinde DESCENDENTIBUS omnibus Imp. THEODOSIUS et VALENTINIANUS⁹⁾ id beneficium concederunt, ut, a patre, vel matre, avo, vel avia, proavo, vel proavia, scripti heredes, sive se novarent scriptos heredes, sive ignoraverint, in liberos suos, cuiuscunque sint sexus vel gradus, derelictam sibi hereditariam portionem transmittere, memorataeque personae eam tanquam debitam vindicare possint, quod etiam super legatis seu fidicommisiis, a patre, vel a matre, avo, vel avia, proavo, vel proavia, derelictis, locum habeat. Hoc ius igitur descendantibus cuiuscunque sexus aut gradus, habita solum ratione sanguinis, datum, nec EMANCIPATIS est denegandum. Differt autem a iure Suorum in eo, quod Sui hereditatem non aditam in quosvis heredes, reliqui Descendentes vero in liberos tantum cuiuscunque gradus, transmittant. Et licet haec constitutio, cum de liberis heredibus scriptis loquatur, primo intuitu ad successionem ab intestato non videatur trahenda¹⁰⁾, rationes tamen, quibus Imp. utuntur, sunt generales, summaque nituntur aequitate, ut sumiam descendantibus ab intestato heredibus, qui maiori favore gaudent, iniuriam inferre nobis videremur, nisi et ipsis hoc ius vindicaremus. Afferunt enim Imp.; *Perindignum esse, fortuitas ob causas, vel casus humanos, nepotes, aut neptes, pronepotes, aut proneptes, avita, vel proavita, successione fraudari, aliosve adversus avitum, vel proavitum, desiderium, vel institutum, insperato legati com-*

a 2 modo,

8) GEORG LUDOV. BOEHMER in Diff. de discrimine suorum et emancipatorum in successione intestati iure novo sublato. Goetting. 1766. KOCH de successione ab intestato. Sect. I. §. 6.

9) l. un. C. de his, qui ante apert. tab. hereditatem transmitunt.

10) PEREZ ad Cod. d. Tit. n. 9.



modo, vel hereditatis, gaudere; et: habeant potius solatum tristitiae suae, quibus est merito consulendum. Itaque non dubitamus, hanc Theodosianam transmissionem et in successione ab intestato admittere¹¹⁾.

Tertio ex constitutione IUSTINIANI¹²⁾ QUILIBET HERES, sive agnatus sive extraneus, vel ex testamento, vel ab intestato vocatus, si SCIENS hereditatem sibi esse delatam, deliberatione minime petita, intra annale tempus deceperit, IUS DELIBERANDI et reliquum anni tempus pro adeunda hereditate suis successoribus relinquif. Ex qua legē constat, hoc spatium deliberandi annale currere a tempore scientiae, quod et ex aliis eius verbis: Si enim ipse, POSTQUAM EI COGNITUM SIT, heredem eum vocatum fuisse, annali tempore translapsa, nihil fecerit, it cum successione sua huiusmodi beneficio excludatur, patet. Deinde infertur, scientem solum, non vero et eum, qui ignoravit, hereditatem sibi esse delatam, ius deliberandi in successores suos transmittere; quod posterius quidem BERGER¹³⁾ in dubium vocat, simul vero, contrariam esse communem sententiam, testatur.

Denique per RESTITUTIONEM IN INTEGRUM succurritur heredibus eius, qui, iusta causa impeditus, ante additionem delatae hereditatis decepsit. Divus enim ANTONINUS rescriptis: et si nihil facile mutandum est in solemnibus; tamen, ubi aequitas poscit, subveniendum est¹⁴⁾. Quae sanctio ad eum casum producitur, ubi heres

11) STRYCK de success. ab intest. Diff. I. C. 2. §. 3. 4. 21. 27.
12) MENCKEN Pand. de success. iur. noviss. §. 4. BERGER Oec. Iur. L. II. T. 4. th. 49. ID. Diff. de transmissione hereditatis §. 21. in Eiusd. Diff. select. XVII. p. 479.

HELLFELD cit. Diff. Cap. 2. §. 23.
13) I. 19. C. de iure deliber.
14) in Res. LL. obst. L. 29. T. 2.
14) I. 7. pr. D. de in integrum restitut.

■ ■ ■ ■ ■

V

heres absens ante vita deceperat, quam heredem se institutum cognosceret, cuius heredes ex persona defuncti restitutionem in integrum implorabant¹⁵⁾). Nec obstat, quod in dictis legibus reipublicae causa absentes occurrant, cum regula ista aequitatis sit generalis, et ab ipso Antonino in alio quoque casu adhibita¹⁶⁾). Hinc et Scabinatus Lips. et Collegium nostrum iam olim, ubi heres, ante publicationem testamenti mortuus, et ita institutionis ignarus, vel alia iusta causa impeditus, non adiit hereditatem eius successores restituendos esse censuerunt¹⁷⁾.

INFANTES, septem annis minores, sunt sui heredes patris vel avi paterni, in cuius potestate fuerunt; itaque hereditatem illorum, ignorantes acquirunt, et sine aditione in quoslibet transmittunt heredes. Quod et de postumis verum. Quum itaque pater praegnante uxore est mortuus, hereditas eius ad infantem, si vel momentum post nativitatem vixit, et per eum decedentem ad matrem, vel alios heredes infanti proximos, devolvitur¹⁸⁾. Alter Iure Rom. se res habet, si *infanti materna*, vel *alia hereditas*, sit delata, et infans deceperit; tunc enim ascendentis lineae paternae acquirunt hereditatem, sive eam infantis nomine adierint, sive non, et si quacunque causa infans sui iuris inveniatur. Tutor quoque eius nomine adire potest hereditatem. *Sin vero vel non fit tutor, vel, cum sit, ea facere neglexerit: tunc, eodem infante in ea aetate defuncto, omnes hereditates, (matris, vel alias personaë extraneae) ad eum devolutae, et non agnita, ita intelliguntur, quasi*

15) l. 86. pr. l. 30. pr. D. de acquir. vel omitt. hered.

16) l. 52. pr. eod.

17) CARPZ. P. III. C. 14. def. 24.
MENCKEN Pand. Lib. 29. T. 2. §. 6.

18) CARPZ. P. III. C. 17. d.

17. 18. 19. WALCH de infante herede, in EIUS opusc. Sect. II.

Exerc. II. §. 14.

ab initio non essent ad eum delatae, et eo modo ad illas personas perveniant, quae vocabantur, si minime hereditas infanti fuisset delata. Haec constituerunt Imp. THEODOSIUS et VALENTINIANUS¹⁹⁾.

PUPILLUS, infantia maior, cui nescienti tutor non poterat acquirere hereditatem²⁰⁾, Iure Rom. ipse, cum tutoris, quem habet, auctoritate, vel patris consensu, aut tute desitutus, cum decreto magistratus, adire poterat²¹⁾. MINOR nec consensu indigebat²²⁾. Ad neutrum vero eorum dura ista legis dispositio, quae de infante solum agit, mihi spectare videtur. Ipsius enim contra neglectam additionem restitutio in integrum competit. Non solum autem minorum, verum et omnium, qui ipsi potuerunt restitui, successores, in integrum restitui possunt, et si sint ipsi maiores²³⁾. Ita si successor est maior, currit quadriennium a tempore aditae ab ipso hereditatis, vel agnitae bonorum possessionis; si minor succedit minori, quadriennium, ex quo succedens maior factus est, currit; si maiori succedit, tantum tempus, quantum defuncto fuit residuum, ipsi ad restitutionem conceditur, hoc tamen minori non currit, nisi ex eo tempore, quo maior factus est²⁴⁾. Nullus igitur dubito, heredibus pupillorum, vel minorum, ius afferere, impletandi restitutionem in integrum contra neglectam ab eorum defunctis additionem hereditatis.

Valde durior est conditio FURIOSI, cuius quidem curator per intervalla, quae perfectissima sunt, nihil agit, sed ipse, dum sapit, et hereditatem adire, et omnia alia facere potest, quae sanis hominibus competit²⁵⁾; et dubium non est, quin, si vel momentum

plene

19) l. 18. C. de iure delib.

23) l. 6. D. d. in int. rest. l. 18.

20) l. 5. C. cod.

§. 5. d. min.

21) d. l. 18. §. ult.

24) l. 19. D. d. min. l. 5. C. d.

22) l. 3. C. d. in int. rest.

temp. in int. rest.

min.

25) l. 6. C. de Cur. furiosi.

plene respuerit, ipsique delatam esse hereditatem cognoverit, et intra annum deliberandi decesserit, reliquum anni tempus successoribus suis relinquat. Neque minus **PERPETUO FURIO-**
SO, cui ob eandem rationem **MENTE CAPTUS** aequiparatur, **IU-**
STINIANUS²⁶⁾ id concessit, ut, licet sui iuris sit, nihilominus in paterna quidem hereditate, quae quasi debita ad posteritatem suam devolvitur, iure veterum suis heres existat suis parentibus; et²⁷⁾ Curatori eius licentiam dedit, imo magis necessitatem imposuit, adeundas hereditatis, quae ex alia quamcunque causa ad furiosum perveniat, si utilem ei successionem existimaverit. Sed his addidit sanctio-
nem, qua furioso ius transmittendi hereditatem, a curatore adi-
tam, negavit; disposuit enim²⁸⁾, ut si in furore diem suum finie-
rit, vel ad suam sanitatem perveniens eam (hereditatem) repudiaverit:
si quidem successio est, ad eos referatur, volentes tamen, id est, vel ad subfittitum, vel ab intestato heredes, vel ad aerarium: eo scilicet ob-
servando, ut hi veniant ad successionem, qui mortis tempore furios
propinquiores existant ei, ad cuius bona vocabantur, si non in medio
esset furiosus; legatis autem procul dubio et fideicommissis, caeterisque
acquisitionibus furioso acquirendis, et substancialiae aggregandis. Ex his
autem deducimus: I. Patris tantum, avi, et proavi paterni, in
quibus iura fuorum locum habent, hereditas furioso acquiritur, et in
quosvis heredes sine additione transmittitur. II. Huic opponit Imp-
aliam quamcunque hereditatem, furioso delatam, ergo et mater-
nam, et reliquorum ascendentium, quippe et matri succedentes
liberi sunt heredes extranei²⁹⁾. III. Nęque transmissio Theo-
dosiana ex iure sanguinis in furioso locum habet, cum **IUSTINIA-**

NUS


26) I. 7. C. de curatore fur.

28) §. 8. d. I.

§. 2.

27) d. I. §. 3.

29) §. 3. I. de heredum qual.



NUS hac constitutione deroget isti legi priori. IV. Nec obstat l. 11. *de suis et legit. her.*, ad quam provocat HUBER³⁰), partim quia et haec constitutio THEODOSII et VALENTINIANI solum de hereditatis delatione, quae ipso iure, (civili, non iure praetorio) fit, non autem de acquisitione, agit, partim, quia et huic l. 11. recentior lex nostra derogaret. V. Neque furiosi spatium deliberandi, quod notitiam delatae hereditatis requirit, in successores suos transmittunt. VI. Nec eorum heredibus per restitutionem, in integrum contra claram legis nostrae dispositionem succurri potest. VII. Igitur aditio hereditatis, a curatore suscepta, furiosi heredibus non prodest, nisi per aliquod tempus ad sanitatem pervenerit; hoc enim casu, si non repudiaverit, additionem probasse censetur. VIII. Quum perpetuo furiosus diem subiit supremum, hereditas quidem ad eos devolvitur, qui tempore mortis furiosi propinquiores ei sunt, ad cuius bona vocati fuissent, si non in medio esset furiosus. Sed hi succedunt ex nunc; ita, ut fructus interea percepti furioso sint acquisiti. Denique IX. hereditas ascendentium, mortuo dein furioso, nihilominus transmittitur in eius descendentes, qui tempore delationis iam fuerunt geniti, non quidem, ut supra ad III. monimus, beneficio Theodosii, sed iure representationis, quo et ipsi statim successissent, nisi in medio fuisset furiosus.

Hanc materiam egregie illustrat sententia, ab illustri Suerinensi Regimine anno huius saeculi LXXXI. lata. Cum enim eques Megapolitanns de HAHN sine prole esset mortuus, relicta forore, eiusque filio de GEUSAU, utrisque mentecaptis, quorum illa post aliquot menses, et brevi post eius quoque filius, e vita discesserant: negavit Regimen Suer., opimam Hahnii hereditatem

ad

30) in Prael. ad Inst. Tit. de heredum qual. §. 13.

ad Geusauii successores esse devolutam, nisi probarent, sororem de Geusau post fratri Hahmii obitum, et filium de Geusau mortua matre, dilucida intervalla habuisse, et sic in facultate deliberandi et transmittendi constitutos fuisse. Quam sententiam FR. CHR. JONATHAN FISCHER libello suo: *Vom erbschaftlichen Versendungs-Rechte ohne Besitz-Ergreifung p. 140. sqq.* adiecit. Sed haec de Iure Romano.

II. PLACITA IURIS GERMANICI.

IURE GERMANICO plane aliter se res habet. *Bona enim immobilia* si respicis, ea non irrevocabili dominio ad possessorem spectabant, sed primo acquirenti pro se et posteris erant concessa, ita, ut his statim a nativitate ius quasi condominii in bonis ab ascencente profectis competenteret, eaque fine eorum consensu, *ohne der Erben Laub*, nec alienari, nec obligari possent³¹⁾). Itaque secundum naturam bonorum, quae restitutioni subsunt, non tam hereditario quam potius dominii et ex eo profluentis devolutionis et recadentiae iure in successorem transibant³²⁾). Liberior *de bonis mobilibus* competitabat disponendi facultas. Onerabantur enim aere alieno defuncti, ad cuius solutionem in regula heredes mobilium solummodo erant obstricti³³⁾). Et haec quidem obligatio ad expun-

31) IUS PROV. SAX. Lib. I. art. 52. HEINECC. El. Iur. Germ. T. I. Lib. II. §. 162. 300.

32) FISCHER Geschichte der deutschen Erbfolge, 3. Hauptstück, IDEM Erbsolgsgeschichte der Sei-

tenverwandten in Teutschland, 3. Hauptst. I. Abschn. §. 12.

33) FISCHER Geschichte der deutschen Erbfolge, 11. Hauptst. 3. Abschn. 4. Absatz, p. 288. sqq.

X

—————

expungendum aes alienum a quibusdam gentibus heredi imposita erat, nullo habito respectu ad quantitatem bonorum, an sufficerent, nec ne, adeo, *ut si quis, quantum unus solidus valet, in hereditatem acceperit, vel weregeldus eius, si interficetus fuisset, legitime obveniret, omne debitum per ipsum solvi iudicetur, et omne factum eius idoneare studeat, aut culpam incurrat³⁴⁾*. E contrario WISIGOTHI³⁵⁾ heredes ultra vires hereditatis non obligabant. Quae benignior sententia et fundata est IURE PROV. SAX. Lib. I. Art. 6.: *Wer das Erbe nimmt, der soll zu Rechte die Schuld gelten, als ferne das Erbe währet mit der fahrenden Haab.* Sed in universis legibus Germanorum intuitu legitimae et paetitiae successionis, iis usitatae, ne vestigium quidem invenitur regulae iuris Romani, quod hereditas non nisi per aditionem in heredes transeat. Illi potius contraria est iuris Patrii dispositio, qua non solum ius hereditarium, sed et eius possessio, ipso iure, sine apprehensione in heredes, ergo et in eorum successores, transibat; quod non solum notissima illa Paroemnia: *Le mort saist le vif, der Todte erb (beerbt) den Leben-den, satis ostendit, sed et confirmatur IUR. PROV. SAX. L. III. Art. 81. Was man einem Mann oder Weibe giebt, das sollen sie drey Tage besitzen. Was sie aber mit Klage erfordern, oder auf sie ge-erb't ist, das dürfen sie nicht besitzen.* Cuius rei rationem reddit GLOSSA: *Kommt einer also in eines Dinges Besitzung, ob ihm erb anstirbt. Dies gut hat er alberit in seinem gewehren, und besitzt*

es.

34) LEX RIUAR. Tit. 67. §. 1. apud GEORGISCH. Corp. Iur. Germ. antiqui p. 177. LEX BURGUNDIO-NUM, T. 65. §. 2. Cum quibus convenire videtur IUS ALEMAN-NICUM Cap. 260. in SENCKEN-

BERGII Corp. Iur. Germ. T. II. p. 311. verbis: *Wer Erbguth nimmt, der soll zu Recht die Schulden gelten, die man weiss.*

35) L. 7. Tit. 5. ap. GEOR-GISCH. p. 2068.

es. Hinc in eo convenienter Dd., iure Germ. non opus esse aditione hereditatis ad effectum transmissionis, idque in allodio et feudo, nec minus in infantibus, et furiosis, locum habere ³⁶⁾. Illam tamen doctrinam ad successionem testamentariam non esse trahendam constat, cum haec, e Iure Rom. proficisciens, ex eius principiis sit diiudicanda ³⁷⁾.

III. DE IURE, QUO IN SAXONIA ELECTUTIMUR.

Ad IUS HODIERNUM quod attinet, iam olim COLER ³⁸⁾, RICHTER ³⁹⁾, CARPOV ⁴⁰⁾ simplicitatem iuris Patrii preferendam esse duxerunt legum Rom. subtilitati. Sed in SAXONIA ELECTORALI in hac materia sequimur Ius Civile, et possessionem hereditatis sine apprehensione acquiri ⁴¹⁾, ac hereditatem in casibus non exceptis sine aditione transmitti negamus ⁴²⁾. Causam illustrat

b 2 species

36) TIRQUEL Tr. Le Mort faisit le vif, in Eius oper. Tom. III. PEREZ. ad Cod. L. VI. Tit. 33. n. II. HERTIUS Lib. I. Paroem. 79. in Eius opusc. Vol. I. Tom. III. p. 531. SCHILTER. Exerc. XV. §. II. sqq. HEINECC. El. Iur. Germ. L. II. §. 296. sqq. DAN. TERZIENSKY Spec. Iur. Germ. de aditione hereditatis, §. 9. p. 24. WALCH De infante herede, §. 12. sqq. in Eius opusc. T. II. p. 147. sqq. FISCHER Vom erbschaftlichen Verfendungs-Recht ohne Besitz-Ergreifung, §. 13. sqq.

37) SCHILTER Exerc. XV, §. 16.


38) P. I. Dec. 68. n. 12.

39) Dec. 67.

40) Decif. 225. n. 21.

41) BERGER Elec. Proc. Posseff. th. 29. ID. Oec. Iur. L. II. T. VI. th. 4. n. 1.

42) BERGER Oec. Iur. L. II. Tit. IV. th. 49. MENCKEN Pand. Lib. XXIX. Tit. II. §. 2. sqq. LEYSER Sp. 369. Med. 8.



species a BERGERO⁴³⁾ proposita, qua Scabinatus Lips., ICti Viteberg. et denique Summus Provocationum Senatus iudicarunt, hereditatem nepotis, ab avo non aditam, in huius, elapsa deliberandi anno mortui, heredes minime transmitti. In infante tamen aditionem non requirunt SANDE⁴⁴⁾, HUBER⁴⁵⁾, CARPOV⁴⁶⁾, WALCH⁴⁷⁾. Et sublata omni distinctione inter Pupilos et Minorres, Tutores et Curatores, Tutor solus eorum nomine adit hereditatem iis delatam⁴⁸⁾.

IV. LIMITATIONES.

Cavendum autem est, ne regula iuris civilis: *Hereditatem non aditam in casibus non exceptis non transferri*, nimis extendatur. Supponit enim casum, ubi quis titulo heredis ad successionem vocatur. Itaque locum non habet

I. IN LEGATIS ET FIDEICOMMISSIS⁴⁹⁾. Si enim post diem legati cedentem legatarius deceperit, ad heredem suum transfert legatum, ait ULPIANUS⁵⁰⁾. Iam vero dies legatorum vel fideicommissorum, quae pure vel in diem certum sunt relieta, statim a morte testatoris, inconditionatis autem existente conditione, cedit⁵¹⁾. Itaque nec legatarius, nec fideicommissarius, opus habet agnitione ad

43) in Suppl. ad El. Discept. For. P. I. T. 29. n. 8. p. 381.

44) L. 4. T. 8. def. 9.

45) Praef. ad Inst. L. 2. T. 19. §. II. 12.

46) P. III. C. 14. d. 23. n. 9. ID. P. III. C. 17. d. 18. 19.

47) De infante herede, §. 14. in Opusc. T. II. p. 149.

48) Allg. Vormundsch. Ord. vom 10. Oct. 1782. Cap. III. et XIV.

49) CARPOV. P. III. C. 14. d. 23.

50) I. 5. pr. D. Quando dies legat. vel fideic. cedat.

51) d. l. §. 1. sqq. l. un. §. 2. et 5. C. de caduc. toll.

ad transmissionem iuris in heredes; modo post diem cedentem sit mortuus. MENCKEN⁵²⁾ quidem hoc solum ad descendentes restringit, et denegat ascendentibus aliquis, quia *lex un. C. de his, qui ante apert. tab. supra laudata, hoc foliis descendantibus praecipuum largiatur.* Sed respicit ista constitutio THEODOSII et VALENTINIANI in d. l. un. ad illam partem legis Papiae, quae Caducaria vocabatur, et ad SCta ei supplenda facta, quibus sanctum ut si ex parte heres scriptus, vel legatarius, ante apertas tabulas decesserit, in caducum caderent iis reliqua. Qua quidem Lege ius antiquum, quo legata statim a morte testatoris peti poterant, quodque Iustinianus Digestis inseri curavit, hac in parte erat mutatum⁵³⁾). Cum ergo temporibus THEODOSII ET VALENTINIANI heredibus legatarii et fideicommissarii, ante apertas tabulas decedentium, nihil acquireretur, Imp. illis prospicientes, necesse habuerunt, ut in d. l. ult. legatorum et fideicommissorum mentionem facerent. Qua tamen legis dispositione hodie non amplius indigemus, postquam IUSTINIANUS⁵⁴⁾, sublata lege caducaria, intuita omnium legatorum et fideicommissorum ius antiquum restituit, imo eadem in supra citata l. 7. § 8. C. de Cur. furiosi et furiosi heredibus reservavit.

II. MORTIS CAUSA DONATIONES eodem modo, ac legata, transeunt in heredes, cum per omnia fere legatis connumerentur, et ideo ignorantia factae valeant crita acceptandi necessitatem⁵⁵⁾;

b 3

tissi-

52) ad Pand. L. 29. T. 2. §. 6.

Lib. IV. Reliquat. 36. in MEER-

53) ULPIANI Fragm. Tit. 17.

MANNI Thesaur. T. V. p. 508.

ibique CUIAC. et SCHULTING. in

54) l. un. C. de caduc. toll. §. 25.

Iurispr. Anteiusf. p 615. RAMOS

55) CARPZ. P. III. C. I. d. 35.

del MANZANO ad L. Iul. et Pap.

MENCKEN Lib. 39. T. 6. §. 4.

tissimum autem, quia solis heredibus adeundi obligatio est imposta⁵⁶⁾.

III. Neque minus LEGITIMA non agnita in heredes transmittitur⁵⁷⁾. Non enim voluntate defuncti, sed quasi debitum, legis beneficio, defertur. Hinc et quarta Divi Pii non agnita heredibus arrogati impuberis cedit⁵⁸⁾. Imo legitima iure legati, vel fideicommissi, vel per donationem mortis causa et inter vivos, vel aliis modis, relinqu poterat⁵⁹⁾. Et quamvis IUSTINIANUS⁶⁰⁾ hoc mutavit, atque legitimam tantum institutionis titulo dare passus est; haec tamen dispositio, in favorem proximorum heredum introducta, in eorum odium detorqueri nequit, cum et ipsi, legitimam capientes, nec iure civili, ut alii heredes, ultra vires eius teneantur⁶¹⁾. Ipsis quoque furiosis Imperator in quasi pupillari substitutione legitimam relinqu⁶²⁾, et hanc constitutionem in durissima illa l. 8. §. 1. C. de curatore furioso, in suo robore permanere voluit. Nec obstat, quod querela inofficiosi testamenti non praeparata haud transeat in heredes. Si enim legitima portio, vel integra, vel ex parte tantummodo, est reliqua, locus datur hereditatis petitioni, fam. herc. iudicio, actioni ex testamento, et suppletoriae⁶³⁾. Si autem non titulo honorabili data, Iure Sax. Elect. testamentum quoad heredis institutionem est nul-

56) CARPZ. P. III. C. 14. d. 28.

57) GAIL. L. II. obs. 120. n. 17. obs. 131. n. 12. 13. CARPZ. P. III. C. 14. d. 25. n. 4.

58) l. 22. pr. D. de adopt.

59) §. 6. I. de inoff. test. ibique A COSTA.

60) Nov. 115. C. 3. 4. 5.

61) VOET ad Pand. L. V. T. 2. §. 44. 66.

62) l. 9. C. de impub. et al. subft.

63) MENCKEN Pand. L. V. T. 2. §. 22. 23. VOET d. Tit. §.

67. 68.

lum⁶⁴⁾), et querela nullitatis locum habet. Hae actiones autem transeunt in heredes. Pariter

IV. RES UTENSILES, et EXPEDITORIAE, *Gerade und Heergeräthe*, quae titulo plane singulari veniunt, et

V. SUCCESSIONE MARITI IN MOBILIA, quae ex solo iure Germ. proficiscitur, et ad subtilitates iuris Romani reduci nequit, ad effectum transmissionis agnitione non indigent⁶⁵⁾.

VI. Idem de PORTIONE STATUTARIA et IURE OPTIONIS VIDUAE competente dicendum videtur⁶⁶⁾. Sive enim illam a communiōne bonorum inter coniuges deducas, siue cum PESTELIO⁶⁷⁾ pro legitimo surrogato dotis, quam antiquis temporibus mariti uxoribus constituebant, accipias, utroque casu erit successio tantum iuris Germanici. Porro res ipsa loquitur,

VII. in SUCCESSIONE PACTITIA agnitionem plane locum non habere, cum utriusque paciscentium consensus iam ab initio sit interpositus. Itaque et ex PACTIS DOTALIBUS, quae, tanquam successoria, minimē a iure Romano, sed a moribus solummodo Germanorum sunt repetenda⁶⁸⁾, successionem statim a morte coniugis sine ulteriori mentis declaratio[n]e acquiri mihi persuasum est, licet in vim ultimae voluntatis sint inita; quia et hac forma

64) Conſt. El. 9. P. III.

67) in tr. de succell. inter con-

65) CARPZ. P. III. C. 14. d. 25. iuges ab intestato, C. I. §. 28.

n. 5. 6. d. 26. 27.

66) BERGER Oec. Iur. L. II. T. 4. th. 45. n. 7.

68) WALCH De renunc. port. statut, tacita, in Opusc. T. II. p. 232.

forma natura paetii, quod simul pro heredibus iniri solet, non peritus sublata videtur.

IX. Nec in **SUCCESSIONE FEUDALI** aditionem requiri, sed eam delatam statim transmitti, partim ex eius natura, (est enim mere paetitia, et non nisi antiquae Germanorum successionis species,) partim ex legibus⁶⁹⁾ patet. Denique

IX. ad **SUCCESSIONEM IN BONA ABSENTIUM** quod attinet, quam doctrinam **ILLUSTRIS SCHOTT**⁷⁰⁾ uberrime exposuit, per Rescriptum Electorale d. 16. Jun. 1790. ad Dicasteria emissum, est dispositum: *dass der Erbanfall von dem Tage an, da die zwanzigjährige Frist von der Zeit der zuletzt (von dem Abwesenden) ertheilten Nachricht abgelaufen, oder da der Abwesende das siebzigste Jahr seines Alters erfüllt, angenommen, und dessen Verlassenschaft denen zu der Zeit existirenden nächsten Erben, oder denen an ihre Stelle getretenen Erben, verabfolget werde.* In hac igitur lege Summus Llator subtilitatis Iuris Rom., quod aditionem desiderat, plane rationem non habuit, sed omnino iussit, ut heredes tempore delatae hereditatis proximi, et, his interea mortuis, eorum successores, pro heredibus absentis declarentur. Qua aequissima decisione Ordo noster innixus, hereditatem absentis, quamvis non aditam, nihilominus proximi heredis successoribus tradendam esse iudicavit.

Sed

69) **VETUS AUCTOR** de benefic. C. I. §. 44. **IUS FEUD. SAX.** Art. 20. **HELLFELD** cit. diff. de transmissi. iur. succ. §. 34. in Opusc. p. 465. **WALCH** De infante herede, §. 13. p. 148.

70) in Diff. De citatione edictali in hereditatis absentium ob mortem praesumtam petitione Iure Sax. Elect. praescripta, Lips. 1791. et in Progr. de haec re scriptis.

Sed his praemissis iam indicenda sunt Solemnia inaugura-

alia

VIRI PRAECLARISSIMI
M. IOANNIS FRIDERICI HERMANNI,

qui de vita sua haec refert:

Ego, Ioannes Fridericus Hermann, lucem adspexi in hac urbe die XXV. Ianuarii 1767. patre Georgio Friderico mercatore, matre Joanna Sophia e gente Zickleria, quibus quidem parentibus nullo modo meliores meue amantiores nancisci me potuisse gratissimo animo profiteor. Religionis atque litterarum initias ab Alberto priuatum imbutus, anno 1781. in disciplinam scholae Nicolaitanae veni, ubi Martinium, Forbigerum, Asmannum et Beringerum natus sum praeceptores, quorum omnium in me merita valde laudo, in primis vero Martinii Restoris et Forbigeri Conrestoris. Ciuibus academicis anno 1786. a Reizio, Restore tum Magnisico, adscriptus, philosophiam colui duces Caesaris, Platneri, Wielandi; in historiae studio Beckium, Wielandum et Wenckium, in mathematicis Gehlerum doctores habui. Quum vero potissimum ad iurisprudentiae studium animum adplicarem: scholas Sammeti, senis venerandi, Bieneri, Hauboldi, Tunghaunsi, Schotti, Einerti, Rauii, Arndtii et Rickteri adii, et, ut, qualem operam arti nobilissimae addiscendae adhibuerim, publice constaret,

disq A

c

mensē


mensē Octōbri anni 1788. praeſide Hauboldo defendi in Auditorio ICtorum disputationem, DE CAUSSIS, CUR IDEM ET TESTATO ET IN TESTATO DECEDERE NON POSSIT. Paullo poſt quum pro prima obtinenda iuris laurea Illuftris ICtorum Ordinis tentamini me ſitiffem, honorifico elogio dimiſſus, omnino ac p̄e ceteris dignus iudicatus sum, qui in Candidatorum utriusque iuris numerum recipereſer. Ad altiora progressurus, anno ſequenti ab Ampliſſimo Philosophorum Ordine Magiſterii honores impetraui. Quos laetos rerum mearum ſuccellus excepit anno 1790 acerba matris mors, quam quemadmodum omnes boni lugent: ita ego potiſſimum temporis ſolatio aliquantum ereſtus, nunc doleo magis, quam ſentio, ex quo pater ſecundas nuptias contraxit cum Susanna Elisabetha e gente Richteria, cuius magnum in me amorem et maternae ſimillimam curam gratiſſimo animo ſemper celebrabo. Anno inſequenti examen, quod rigorofum dici ſolet, ſubii, utque uſum rerum cum ipſa arte aliquando iungerem, Notarius publicus Caesareus ab Ampliſſimo Senatu Lipſienſi, Magnifico Wendlero tunc fasces conſulares tenente, creatus, iam ſummos in iure honores petere haud dubitau. Quibus precibus meis ſi ab Illuftri ICtorum Ordine locus fuerit relictus, nullum praetermittam pietatis officium, quo tanti beneficij memoriam coli a me poſſe intelligam.

Annuit

Annuit Ordo noster his precibus, et dignissimo Candidato, qui in utroque examine veram, solidamque Iuris scientiam satis superque demonstravit, summos in utroque Iure honores unani mis suffragio decrevit. Proximo igitur Mercurii die hora II. pomeridiana L. III. C. *de iure deliberandi* interpretabitur, in sequenti die Iovis autem, d. XVI. Aug. horis matutinis Dissertationem inaugurem: *De mortis causa donationum coniecturis ex mortis mentione capiendis*, inscriptam, sine praefide publice defendet.

Quo facto Vir Illustris et Excellentissimus, D. CHRISTIANUS GOTTFRIED HERMANN, Supremae Curiae Prov. Iudicij March. Infer. Lusatiae, ac Collegii ICtorum Lips. Assessor, et Civitatis Senator atque Aedilis, fautor atque collega honoratissimus, cui Promotoris partes delegavimus, Doctoris dignitatem, iura, et privilegia, tam communia, quam Doctoribus Lipsiensibus propria, si solam spem; loci et suffragii in Ordine nostro obtinendi, exceperis, ipsis more solito tribuet.

Hanc igitur solemnitatem ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICUS, CELSISSIMI PRINCIPES, ILLUSTRISSIMI COMITES, PROCERES UTRIUSQUE REIPUBLICAE GRAVISSIMI, ET GENEROSISSIMI NOBILISSIMIQUE COMMITTONES, frequenti praesentia or-



nare velint, omni, qua par est, observantia et humanitate ro-
gamus.

P. P. Dom. X. post Festum Trinitatis A. R. S.
clccclxxxiii.

LIPSIAE,

EX OFFICINA SAALBACHIA.




Leipzig, Drss., 1792

ULB Halle
005 358 981

3





Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Centimetres

Inches

O C A N C E L L A R I U S
F R I D E R . S I G I S M U N D U S
G R E E N

C U R I A E P R O V I N C I A L I S E T C O L L E G I I
U L T O R U M L I P S . A S S E S S O R E I U S D E M Q U E
A T I S S E N A T O R A T Q U E S Y N D I C U S

I N U T R O Q U E I U R E H O N O R E S

V I R O

A E C L A R I S S I M O E T D O C T I S S I M O

N I F R I D E R I C O H E R M A N N O

. A U G U S T I A N N I C I C C L X X X X X I I

O L E M N I T E R T R I B U E N D O S

I N D I C I T .

D I S S E R I T U R

missione hereditatis delatae non aditare.